

am Monasterii administrationi commode præesse non posset: eam *Petro Engelberto* seniori (a) anno MDLXXX. in die Philippi & Jacobi commisit, eumque certis pactis sibi substituit. Cum autem Comes *Christophorus* anno sequenti LXXXI. mense Augusto in *Königstein* moreretur; administratio plenaria Monasterii usque in annum XCV. penes Engelbertum permanit: quam postea Domini Comites sibi ipsis assumerunt.

Charta primæ foundationis Monasterii Ilfeneburgensis.

NOtum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris Christi fidelibus, qualiter *Hilfeneburgense* Cœnobium primitus sit inceptum & perfectum, quæve devotione & amore Christi consecratum, Monachorumque habitationi in perpetuum fuerit traditum. Ego denique **ARNOLPHUS** Halberstadenſis Episcopus, Ecclesiæ meæ utilitati semper providere studens, castrum quod *Hilfeneburg* dicitur, cum omnibus circumquaque positis, tertio *Ottone* Imperatore tradente, Deo Sanctoque ejus primo martyri *Stephano* acquisivi, quod & pro animæ meæ, prædecessorum successorumque meorum remedio, divino famulatu dicavi. Nam memorato Principe defuncto, habitatoribusque loci ejusdem eliminatis, Monachos, quos his temporibus secundum *ordinem Vuldensium* religiosiores inveni, ibidem collocavi. Dehinc vero Ecclesiam venerabiliter constructam, in honorem omnipotentis Dei, Sanctique Petri Apostolorum Principis, dedicavi, eamque diversis prædiis & decimationibus subternotatis, ad subsidia Christo illic famulantium, pro tempore & facultate dotavi. Igitur in ipso eodem loco dedi manſum cum omnibus sibi adjacentibus, quæ nostri juris noscuntur, scilicet cum terris cultis & incultis, agris, pratis, pascuis, campis, sylvis, aquis aquarumque decursibus, rivis, piscationibus, molis, molendinis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, atque cum omni utilitate, quæ ullo modo inde provenire poterit. Dedi etiam in *Bernerdiggerode* IX. cum sylva adjacente, decimamque ejusdem villæ, in *Suttherode* II. manſos, in *Scaun* VII. manſos & dimidium, cum decimatione ejusdem villæ, in *Birelevo* XI. manſos cum decimatione ejusdem villæ, in *Lieren* I. manſum, in *Thietterziggerode* VII. manſos decimamque ejusdem loci, in *Aldenrode* VIII. manſos, in *Culisberi* dimidium manſum, in *Gentlevo* dimidium manſum, in *Beddige* X. manſos, in *Ifiggerode* III. manſos, in *Warmershorpe* VI. manſos, in *Thiedestorpe* II. manſos. Has quoque decimationes dedi in *Dudiggerode*, in *Winderode*, in *Bredesende*, in *Lutheriggerode*, in *Boniggerode*, in *Emmenrode*, in *Geschenrode*, in *Exiggerode*, in *Bacchenrode*, in *Beneziggerode*, in *Walliggerode*. Ne autem aliquid à futuris Præfulibus vel Clericis, seu personis secularibus, super id, quod ordinatum est, ordinetur, ut videlicet ejectis Monachis Clerici, quod absit, intromittantur, seu rebus, à nobis sibi concessis, spoliarentur; mancipatu loco illi providentes, hæc à nobis statuta B. Petri Apostolorum Principis & B. Stephani Protomartyris sub anathematis vinculo obligamus. Data VIII. Idus Aprilis anno Dominicæ Incarnationis M.X.VII. Indiçt. I. Actum Halberstede in Dei nomine feliciter, AMEN.

XXXII.

DE ORIGINE ET ABBATIBVS MONASTERII LVCCENSIS,
EX MONVMENTIS.

Vetus narratio de fundatione Monasterii Luccensis.

ANno creationis mundi, secundum Dionysium & Bedam, quinqvies millesimo quadringentesimo tertio decimo; anno Dominicæ incarnationis 1163, à Passione Domini 1127. Cyclo solari 43. anno ejus 5. Cyclo Lunari 62. anno ejus 7. Cyclo Jubilæi 119. anno Jubilæi 47. Cyclo Epactarum 45. anno ejus 7, Epacta autem 14. Cyclo decemnovali 69. anno ejus 1. Cyclo Indictionum 79. anno ejus 11, Indictione 11. Cyclo Clavium 62. anno ejus 5, clave autem 12. Cyclo concurrentium 43. anno ejus 5, concurrente III, aurei numeri VIII, secundo anno à bifexto, litera Dominicali D. Luna paschali decima septima, termino paschali, tertio April. Pascha vero existente 11. Cal. April. post transitum B. Bernhadi Abbatis anno ejus 11. Præsidente SS. Romanæ Ecclesiæ summo Pontifice *Lucio*; imperante Rom. Rege *Friderico*; sub DN. *Wenero*, venerabili Mindensis Ecclesiæ Episcopo.

10

(a) Hujus filius *Petrus Engelbrecht junior*, postea auctoritate Comitum Abbatiam administravit.

In nomine Domini nostri *Jesu Christi*, & ad laudem & gloriam ejus gloriosæ matris & perpetuæ Virginis Mariæ, & B. Georgii gloriosi Martyris, initium sumpsit hæc *Abbatia Luccensis*, fundata à nobili Viro, Comite *Wulbrando antiquo de Halremunt*, qui tres filios habuit, & duas filias, quorum hæc sunt nomina: *Burchardus, Ludolphus, Wulbrandus, Alheidis, Beatrix*. Sed Comes *Burchardus* procedens ad *tornamentum Nienborch* more militari, graviter læsus est in tantum, ut unum crus ei rumperetur. Postea veniens *Benethem*, ibi cum matertera sua manens, mortuus est; quem Dominus *Lambertus de Gemen*, filius sororis Comitis *Wulbrandi* antiqui, panno cera bulliente involvit, & trunco clausum *Luccam* misit sepeliendum, qui in insula, quæ antiqua *Lucca* dicta, sepultus est: in transplantatione vero loci, dum ejus ossa levarent, crus, quod fractum fuerat in *tornamento*, fractum inventum est, & cum aliis ossibus in novum locum transportatum.

Prædictus *Lambertus de Gemen Halremunt* veniens, ibi mortuus, & in *Lucca* juxta cognatum comitem *Burchardum* sepultus. Comes vero *Ludolfus* & frater ejus *Wulbrandus* cum Imperatore *Friderico* ad terram sanctam profecti: sed Comes *Wulbrandus* in via mortuus, *Antiochia* sepultus est. Comes autem *Ludolfus* in reditu mortuus est; cujus ossa Comes *Adolfus de Schowenberg* transmisit sepelienda.

Cognita itaque hujus *Abbatia* fundatorum fidei puritate & devotionis constantia, congruit etiam Dei servis, præsentibus & futuris, hic vero Regi Christo sub vexillo gloriosæ Crucis obedientia, manu justitiæ autore Deo, pro tempore militaturis, de ordinis institutione cognoscere, & instituentium qualitate.

Cum complacuit illi summo *Patrifamilias* ubique terrarum per diversas hominum nationes & provincias suam dilatare vineam, & in futuras propagare propages, *Ordinem* scilicet *Cisterciensium*, Deo, procul dubio, nobis bona paterne providendo: per sollicitudinem Reverendæ in Christo matris, *Ecclesiæ nostræ in Volkolderot*, missi sunt viri; & vere viri, quia religione præcipui, in opere strenui, & in commisso fideles; tanquam cultores in hujus vineæ coloniam, non solum ad excolendam ipsam vineam, sed potius plantandam & innovandam, in hoc loco *Luccensi*, nondum adhuc loco tabernaculi admirabilis & desiderabilis, sed potius tunc temporis loco horroris & vastæ solitudinis, & prædonum & latronum commorationis. Qui quasi ab hora diei prima pondus diei & æstus, varios tribulationum & tentationum insultus, æquanimiter portaverunt, & Christum pauperem in viscera paupertatis imitantes, fame & siti & egestate, frigore & æstu non obstantes, in hujus vineæ cultura, id est, hujus *Ecclesiæ* fundatione, viriliter & feliciter tam sibi quam nobis eorum sequacibus laborare non desierunt, quousque per mutationem dextræ *Excelsi*, de spelunca latronum & prædonum & horroris, domum facerent orationis, vel peccatorum reconciliationis.

Quia ergo Fratres prædictorum Dei servorum certissime sequaces sumus & posteri, qui in eorum labores absque labore intravimus, opus nobis est summopere, omnem dare operam, ut cum Apostolo, sollicitudine non pigri, in hac Domini vinea, per mandatorum Dei & regularis disciplinae obedientia observationem, oportet sic laboremus, licet sero quidem venerimus, (quia laborum bonorum copiosus est fructus,) ut cum *Paterfamilias* in mundi vespera venerit omnium bonorum laborum & operum discussor & redditor, reddere mercedem operariis, qui etiam justitias judicabit; digni inveni amur denario æternæ retributionis.

Et nota eorum nomina, quorum corpora circa primæ fundationis sunt sepulta tempora: Comes *Burchardus*, *Ludolfus* frater; soror eorum *Alheidis*, mater Comitis *Ludolfi*, *Lambertus de Gemen* consanguineus eorum. *Thidericus de Adenoys*, unus fundatorum, *Beatrix*, soror *Alheidis* Comitissæ, quæ quatuor filios habuit, *Burchardum*, *Henricum*, qui occisi sunt à *Stadinguis*; *Engelmarum*, qui fuit Præpositus in *Monasterio*; *Wulbrandum* Episcopum primo *Padelburnensis* postea *Trajectensis* *Ecclesiæ*, *Ludolfus* etiam Comes in *Halremunt*, pater *Ludolfi* adhuc superstitis Comitis in eodem castro suo defunctus, à prædicto filio suo in *Luccam* deductus est, & in sepulcro matris suæ *Alheidis* honorificè sepultus (a) anno Domini 1277. Calend. Decembris.

Præceptum *Lucii III. Papa*, *Monasterio Luccensi* datum.

LUCIUS Episcopus, Servus Servorum, Dilectis filiis, *Eckehardo* Abbati *Monasterii in Lucca*, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam proteffis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicam convenit adesse subsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incurfus, aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum *Monasterium Sanctæ Dei Genitricis* semperque *Virginis Mariæ* atque *Beati Georgii de Lucca*,

S s s

in

(a) Annotante Hofmanno *Joh. Letznerus* legit A. D. 1255. 17. Kal. Decembr. Et sciendum, quod ab anno 1163. 13. Kal. April. quo fundata est *Abbatia Luccensis* --- Desuat reliqua.

in quo divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præfentis scripti privilegio communimus.

Inprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & Beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona, idem Monasterium in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci; firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum, in quo præfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, *Bredenhorst, Wesenhorst, Hage, Sathfeld, Sta, Wagenroth*, cum omnibus earum pertinentiis. Domum unam in *Meleberg*, aliam in *Hattelem*, aliam in *Bolnhusen*, cum omnibus pertinentiis suis; domum unam in *Letteke*, aliam in *Wattege*, aliam in *Verdesen*, quatuor mansos in *Medelen & Wittenburg*, curiam in *Gronbeke*, & curiam in *Invelle*, cum omnibus earum pertinentiis.

Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus & sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere aut extorquere præsumat.

Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos, è seculo venientes, liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere.

Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit, absque Abbatis sui licentia de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium literarum cautione, nullus audeat retinere.

Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna volentes sollicitudine providere, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam seu furtum committere, ignem apponere, homines capere vel interficere, seu violentiam aliquam audeat exercere.

Decrevimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit, præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis Apostolicæ auctoritate.

Si qua igitur in futurum Ecclesiastica Secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisq; sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subiaceat.

Cunctis autem, eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicium præmium æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum *Anagnina* per manum Alberti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbiteri Cardinalis & Cancellarii VIII. Idus Decemb. Indictione secunda, Incarnationis Dominicæ anno M. C. LXXXIII, Pontificatus vero Domini *Lucii* Papæ III. anno III.

- † Ego Lucius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus
- † Ego Joh. Presbyter Cardinalis titulo S. Marci.
- † Ego Pe. Presbyter Cardin. tit. S. Susannæ.
- † Ego Unuan. tit. S. Stephani in Cælio monte, Presbyter Card.
- † Ego----- Presbyt. Card. tit----- XII. Apostolorum.
- † Ego Jac. Diaconus Card. S. Mariæ-----
- † Ego Ardicio S. Theodori Diaconus Card.
- † Ego Gramanus S. S. Cosm. & Damiani Diac. Card.
- † Ego Bobo Diaconus Cardinal. S. Angl.
- † Ego Cerardus S. Adriani Diac. Card.
- † Ego Goffridus Diac. Cardin. S. Mariæ in Mal.

*Privilegium Wilhelmi Romanorum Regis Monasterio
Luccensi datum.*

WILHELMUS Dei Gratia Romanorum Rex, semper Augustus, universis Imperii fidelibus, præsentem paginam inspecturis, gratiam suam & omne bonum. Meritis Sacræ religionis inducimur, ut personas religiosas & loca, benigni favoris gratia jugiter prosequentes, eorum petitionibus ad imitationem nostrorum prædecessorum Imperatorum & regum benignius annuamus. Hinc est, quod precibus dilectorum nostrorum, Abbatis & Conventus Monasterii *Luccensis*, Cisterciensis ordinis, Mindenensis diocesis, favorabiliter inclinati, monasterium ipsum cum omnibus bonis suis, possessionibus, redditibus, proventibus, pratis, nemoribus, aquis aquarumque decursibus, piscariis, decimis, terris cultis & incultis, quæ largitione Illustrum *Saxonia & de Brunswick Ducum*, seu aliorum Christi fidelium, obtinent in præsentem, vel justis modis, præstante Domino, in futurum poterunt adipisci, sub nostra & Sacri Imperii protectione recepimus, & eis prædicta bona omnia liberalitate Regia confirmamus, præsentem edicto districtius inhibentes, ne quis ipsos contra hanc nostram protectionem & confirmationem ausu temerario impedire audeat, seu etiam molestare. Quod qui facere præsumserit, gravem Celsitudinis nostræ offensam se noverit incursum, Datum *Confluentia* VI, Kalend. Indiæione decima, anno Domini M, CC, LII.

APPENDIX.

SERIES ABBATVM LVCCENSIVM.

I. ABBAS ECHARDUS, ex Cœnobio *Volckerodensi* Luccam missus anno (a) 1163. Primum sui Cœnobii priorem habuit *Gerardum* ex familia de *Monichausen* (ut creditur) qui mortuus 15. Januar. 1197. Sepultus in cœnobio sub lapide in quo ipse nomen comparet.

II. BARTHOLDUS I. Quod ei cognomen & quando resignaverit, ignoratur. De eo *Arnoldus Helmoldi Continuator*, in *Chronico Slavorum* lib. VII. cap. IX. Dominus *Bartoldus*, inquit, Abbas in *Lucca*, relicta prælatione & ipse verbi semina gentilibus spargere studens, huic labori non impiger se ingerebat. Unde, gratia Dei cooperante, non parum gentilibus quibusdam acceptus erat. Considerabant sane in viro gratiam conversationis, temperantiam sobrietatis, modestiam sapientiæ, virtutemque abstinentiæ; instantiam prædicationis, jucunditatem affabilitatis. Unde post decessum Domini *Meinardi* [*Livoniensis Episcopi*] --- quia omnibus tam Clero quam populo conversatio Domini *Bartoldi* innotuerat, ipsum unanimi consensu locum defuncti sortiri exoptabant. Qui veniens *Bremam*, Episcopus consecratur. --- Et quia profectio sive peregrinatio Hierosolymitana tunc vocare videbatur, --- fit de tota *Saxonia*, *Westfalia* vel *Frisia*, prælatorum, Clericorum, militum, negotiatorum, pauperum & divitum, Conventus plurimus; qui in *Lubeca*, comparatis navibus armis & victualibus, *Livoniam* usque pervenerunt. Cumque præsul *Beatus* [*Bartoldus*] exercitum produceret contra infideles, Christi cultoribus infidiantes, in manus impiorum cum duobus tantum devolvitur, occiditur, & ut speramus, gloria & honore coronatur. Erat enim flagrans mortis desiderio --- Denique die secunda, cum requirerentur corpora occisorum, inventum est corpus Episcopi intactum & incorruptum, cæteris corporibus, quia æstus erat, muscis & vermibus repletis; quod cum planctu nimio & exequiis solennibus in civitate *Riga* tumulatum est. Testatur *Balthasar Russowenius* in *Chronico suo Livoniensi*, *Saxonica* lingua conscripto, parte 1. fol. 3. & 4. *Bartoldum* hunc *Rigam* urbem ædificare cœpisse, magno *Estlandensium* Ethnicorum cordolio; quæ res bello, denique prælio occasionem dedit, in quo *Bartoldus* cum mille centum Christianis occubuerit. *Crantzius Saxonia* lib. VII. cap. 13. Multi se in eam operam [convertendi gentiles in *Livonia*] contulerunt cum *Meynardo*, & deinde post illum: in quibus erat vir præcipuus *Bartoldus*, Abbas de *Lucca*; Monasterium arbitror *Cisterciensium*, ubicunque sit. Nam alii *Annales* præferunt, Abbatem fuisse *Griseorum* Monachorum, quod genus vestium habere *Monachi Cistercii*. Hic ergo cum laude memorandus, in tantum ad Christi gloriam efferbuit amplificandam, ut relicto fratrum suorum Monasterio; relicta, quam habuit sine turba quiete, in peregrinationem se contulerit laboriosam & periculo plenam. Ubi *Meynardus* transiisset ad meliora, *Bartoldus* ille voluntate *Archiepiscopi* surrogatur Episcopus *Livoniensis*. Is autem vir ad omnia pro Christo pericula promptus subeunda, accepto, quod maligni armis potius quam verbis subigendi viderentur (exuberat enim & exsuperat in omni terra

S s s s 2

malo-

(a) In antiquo quodam libro copiali *Luccensi* dicitur: anno Domini 1163, fundata est *Abbatia Luccensis* à Comitibus de *Hallermunde*. *Eckardus* in regimine primus, vixit adhuc 1183.

malorum turba gregem Dominicum) arma contraxit quanta potuit, in Saxonia: & apud summum Pontificem peregit, ut quoniam res ASIÆ frangebant, cessavitque pro magna parte in eam peregrinatio; *Cælestinus* summus Pontifex remissionem peccatorum in Livoniam pugnantibus converteret. Unde exciti multi utriusque ordinis viri & Ecclesiastici & Seculares, in Sanctam se militiam cum *Bertoldo* Episcopo protinus accinxerunt. Profecti navigiis in terram, opposuere aciem venientibus ex adverso rebellibus fidei hostibus. Ubi jam ad conflictum ventum erat, Episcopus ferociori, quam regere posset, jumento dejectus, fertur invitus in medios hostes, ibique confoditur anno octavo & nonagesimo post centum & mille.

In arce Livoniæ *Sonnenburg* narratur, pictos esse primos Livoniæ Rigenses Episcopos, cum adjecto unicuique tetraſticho, cujus *Bartoldi*, Abbatis quondam Luccensis, hoc sit:

Bartoldus Rigam cingebat moenibus urbem.
Dum molitur opus, Livo, glomerata caterva
Arma parat bellumque facit: concisus ab hoste
Exanimis Præsul, subvaprostratur arena.

In Menologio Cisterciensi, quod nobis edidit *Chryſostomus Henriquez Hortensis*, impresso Antwerp. in officina Plantiniana 1630. hæc leguntur:

XII. Kal. Novembr. hoc est, 21. Oct.

In Livonia Sanctus *Bertholdus* Episcopus, qui ex Monasterio S. Mariæ de *Lucka* ordinis Cisterciensis, ubi constitutus erat Abbas in eam provinciam ad disseminandum Evangelium missus, proprii sanguinis effusione Christianam religionem propagavit, & martyrii corona redimitus, migravit ad cælos. De hoc Bertholdo Crætopolius de Episcopis Germaniæ, Belforestius, in Cosmographia, in descriptione regni Livoniæ, Arnoldus Lubecensis in supplemento Chronici Slavorum lib. VII. cap. 9., Alb. Cranzius Saxonæ lib. VII. cap. 13. Wandalia lib. VI. cap. 10. Metropol. lib. VII. cap. 14., Arnoldus in Martyrologio, Angelus Manrique in laurea Evangelica, Miræus in Chronicis, Montallus in suo Chronico, Hieronymus Romanus in republica sua Christiana.

Quæ omnia & singula cum optime conveniant cum Archivo Luccensi, fidem nullam merentur, quæ contraria habet Chytræus Saxonæ suæ libro 1. p. 17. Successor, inquit Menardi *Bertholdus*, ex Monasterio S. Pauli Bremæ missus, cum vi & armis cogere potius, quam verbo & exemplo invitare, ad fidem Christianam Barbaros institueret, statim ab illis trucidatur.

III. RATHMARIUS. Priorem habuit Ludovicum de *Escherde*. Sub hoc Abbate *Woldemarus*, Cantuti Regis Daniæ filius, primum Episcopus Sleswicensis, deinde Archiepiscopus Bremensis; utroque Episcopatu dimisso, cum XII. nobilibus Fratribus Luccam venit, factusque est humilis Monachus; ubi magnarum virtutum exercitio vitam suam terminavit, & sepultus est ante altare S. Johannis Baptistæ, in die S. Vitalis, Martyris. Epitaphium ejus, lignæ Tabulæ inscriptum, hoc fuit:

Woldemar in Sleswic & Brema simul coronatus,
De Dacia genitus, hic pro Monacho tumultus.
Qui tria claustra suis expensis edificavit.
In Dacia, quæ sub regula propria dedicavit.
Gaudeat in Christo, cui mundus vixit in isto.
Qui legit hoc, dicat, ut in pace requiescat.

Habet consignatio quædam in Archivo Luccensi, quod hic *Woldemarus* secum de Brema adduxerit vestem Salvatoris, quam in murum templi, ubi exterius Alba Crux appicta est, immurari fecit absconditè. In tabella lignea, olim in templo Luccensi pendente, extiterunt hi versus:

Mittitur è coelis puero dignissima vestis
Hæc inconsutilis, mira colore fuit.
Hanc Pater è cælis misit, non sæmina nevit,
Longa sit atque brevis, puero crescente recrevit,
Corporis æquævi stamine texta levi.

IV. LUDOVICUS, in seculo dictus ab *Escherde*, sub Rathmaro Prior. Ubi & quando mortuus, & ubi sepultus sit, ignoratur.

V. HERMANNUS I. electus 14. April. 1239, resignavit 1. April. 1262. Sub hujus Abbatibus regimine splendidum Luccense templum ex lapidibus quadratis ædificari coeptum est, cuius architectus *Bodo*. Exædificatam, ad minimum, partem illius septentrionalem choro proximam, ex eo colligitur, quod anno 1244. V. Cal. Nov. archivo nostro teste, altare dicto loco erectum, à *Johanne* Episcopo *Mindensi* consecratum sit, in laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi, & in honorem Beatæ gloriose semper Virginis Mariæ. In valvis hujus altaris (noviter reparati anno 1594.) scripti fuerunt quondam hi versus:

*Pectore contritis hic larga favendo petitis,
Hinc humiles sitis, qui iusta rogare venitis.
Mater amatoris rivos infundit amoris,
Christiferae vitis redolet clementia mitis.
Nam sic accipitis, quæ puro corde sititis.*

VI. THEODORICUS I. electus 29. Jan. 1262, resignavit 24. Jan. 1273.

VII. HERMANNUS II. ex familia de *Holle*, electus 28. Februar. 1273. Primus est, qui non resignavit, sed sancto suo muneri immortalis est 21. Jun. 1278, sepultus in domo Capituli. Lapidis, sub quo corpus ejus quiescit, inscripti sunt hi versus:

*Transiit Hermannus, millenus dum fuit annus.
Et bis centenus septuagenusque octavus.
Septimus hic Abbas, sed primus mortuus Abbas.
Christe, patris nate, sanctis hunc junge beatè.*

Hic lapis, incertum quo casu, in partes divisus, anno 1702. reparatus est. Paulo ante beatum hujus obitum ædificata est Capella ante portam à Domino *Johanne Longo de Brema*, non quæ Cal. Junii ejusdem anni consecrata est cum suo altari à Domino *Ludolpho*, Halberstadiensis Ecclesiæ Episcopo, ad laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi; & matris ejus, gloriose Virginis Mariæ, inque honorem B. Georgii Martyris. Supra januam dictæ capellæ leguntur hæc verba: *Johannes Longus hanc capellam ædificavit in honorem S. Mariæ.* In vetusto volumine: *Domino Johanne Longo de Brema fundavit Capellam S. Georgii ad portam Monasterii.*

VIII. ARNOLDUS I. electus 12. Decemb. 1278, mortuus 20. Novemb. 1295.

IX. LEFHARDUS I. in seculo dictus *Dog*, electus 29. Nov. 1295, mortuus 28. Aug. 1312.

X. JORDANUS I. in seculo dictus *de Molendino*, electus 6. Sept. 1312. resignavit 7. Octobr. 1322, & in cœnobio post resignationem mansit. Hic Abbas capellam construxit in *Hamel spring* cum tribus altaribus, majore uno, minore uno ad Aquilonem; tertio minore ad Austrum. Hæc capella cum suis altaribus anno 1318, IV. Idus Decembr. consecrata est à venerabili Patre & Domino *Detmario* Gabulensi Episcopo; & majus quidem altare in honorem gloriose Virginis, XI. millium Virginum, S. Catharinæ itidem & S. Barbaræ; secundum in honorem B. Georgii Martyris; tertium in honorem Beatorum Benedicti; Bernhardi, & Roberti Abbatum.

XI. JOHANNES I. electus 13. Oct. 1323, mortuus 9. Jan. 1324.

XII. LEFHARDUS II. electus 24. Jan. 1324, resignavit 4. Jan. 1327.

XIII. JORDANUS II. Hic est decimus cœnobii Abbas, quem supra diximus 7. Oct. anni 1322. resignasse. Mansit interim in cœnobio Luccensi tanquam conventualis, & secunda vice in Abbatem electus est 12. Jan. 1327. Mortuus est 26. Jan. 1331.

XIV. THEODORICUS II. in seculo dictus *de Braunschweig*, electus 3. Jan. 1331, mortuus est 1. April. 1338. Fuisse creditur ex familia *de Folekerfen*.

XV. LIBORIUS, electus 12. April. 1338; resignavit 18. Nov. ejusdem anni.

XVI. BERNHARDUS I. ex familia *Holtgraviarum*, electus 20. Nov. 1338; resignavit 15. Decembr. 1340, mansitque in cœnobio tanquam conventualis.

XVII. BORCHARDUS I. in seculo dictus *de Payne*, ex familiæ nomine. Electus 23. Decemb. 1340. mortuus 24. Mart. 1347. Sub hoc Abbate anno 1342. (sunt verba consignationis cujusdam in Archivo repertæ) facta sunt diluvia valde magna, unum in die Petri & Pauli, alterum in die Mariæ Magdalene his in partibus. Nam pluviis è cælo descendentibus, & aquis de terra emergentibus, rivis aggerum ruptis, fontibus & torrentibus super effluentibus, fluvii levaverunt aquas suas, ita, ut metas suas transcendentibus non solum segetes & multa virentia in agris, verum etiam ipsos agros & vias discerperent, castra, civitates, villas & Ecclesias intrarent, super altaria ascenderent, muros, turres everterent, plures homines & jumenta submergendo necarent, & alia plura damna superinducerent. Nobis Luccensibus hoc diluvium ad 800. Bementes Marcas nocuit & amplius, inque templo nostro stetit aqua usque ad longum illum lapidem, qui super altare

altare tegit in choro. Lapis hic propter insolitam longitudinem & crassitatem inter rariora hujus cœnobii numerari meretur.

XVIII. HARBORDUS ex familia *de Mandelslo*, electus 3. April. 1347. resignavit 24. Jul. 1357. Sub hoc Abbate anno 1350. pestis per Germaniam tam atrociter grassata est, ut tertiam hominum partem; in cœnobio autem Luccensi plurimos conventuales, conversos & officiales extinxerit. Hic est ille Abbas, qui per sicarios *Joh. de Herverde* suum Priorem interfici curasse dicitur in loco, qui appellatur *Münchehorst*. Sepultus est in Cœmeterii Luccensis loco remotissimo sub lapide, qui caret inscriptione: interfectus autem Prior sepultus est in eodem cœmeterio loco honorato sub lapide, cui Monachus incisus cum sica.

XIX. BERNHARDUS II. familiâ *Holtgravius*. Hic est XVI. cœnobii Abbas, quem supra diximus 15. Decembr. 1340. resignasse. Idem secunda vice electus est in Abbatem 29. Julii 1357. Mortuus est 13. Jan. 1360.

XX. HENRICUS I. in seculo dictus *de Revele*, ex cognomine familiæ; electus 15. Jan. 1360. mortuus 3. Oct. 1363.

XXI. LIPPOLDUS dictus in seculo *de Mandelslo*; electus 8. Oct. 1363. mortuus 6. Aug. 1369.

XXII. GOTFRIDUS electus 14. Aug. 1269. mortuus 18. Maji 1405. Sub hoc Abbate anno 1375. integro biduo maxima sævit tempestas, quæ fulgure, fulminibus, grandine primæ magnitudinis, imo siliabus ex nube cadentibus, incredibilem fructibus calamitatem, pecoribus sub dio constitutis mortem, arboribus ac fenestris cladem, cœnobioque Luccensi ingentem jacturam attulit.

XXIII. ULRICUS electus 26. Maji 1405. mortuus 8. Oct. 1407.

XXIV. WALTERUS I. electus 13. Oct. 1407. mortuus 12. Oct. 1409.

XXV. BARTHOLDUS II. in seculo dictus *Luninek* à familia; electus 20. Oct. 1409. mortuus 5. Aug. 1415.

XXVI. WERNERUS electus 9. Aug. 1415. mortuus est Romæ anno 1418. Sub hoc Abbate anno 1417. completum est ædificium organi Luccensis in profesto corporis Christi. Syndicum hoc tempore habuit cœnobium Luccense fratrem *Johannem de Wistelage* virum egregium, qui & postmodum factus hujus Monasterii Abbas.

XXVII. BARTHOLDUS III. in seculo dictus *von der Lunge*. Hic, de morte *Weneri* Abbatibus b. m. nuntio Româ allato, electus est 6. Decembr. 1418. mortuus 4. Aug. 1422.

XXVIII. HERMANNUS III. *Luneburgensis*, electus 6. Aug. 1422. mortuus 13. sept. 1425.

XXIX. JOHANNES II. in seculo dictus *de Wistelage* ex familia, electus 17. Septembr. 1425. mortuus 9. Nov. 1430.

XXX. HERMANNUS IV. in seculo dictus *Lemmegho* [forte patriâ Lemgovienensis fuerit.] Electus est 13. Nov. 1430. mortuus 14. Julii 1437.

XXXI. JOHANNES III. in seculo dictus *FABER*, electus 18. Julii 1437. mortuus 2. Februar. 1446.

XXXII. GUNTHERUS I. electus 4. Febr. 1446. resignavit anno 1452. Dies resignationis probabiliter incidit in mensem Aprilem.

XXXIII. MATTHIAS electus 26. April. 1452. mortuus est 2. Dec. 1454.

XXXIV. HENRICUS II. in seculo dictus *de Indagine*, postulatus in Abbatem ex Cœnobio Marienrodensi 9. Dec. 1454. Post aliquot annos ex Cœnobio Luccensi à Cœnobio Marienrodensi in Abbatem iterum postulatus.

XXXV. GUNTHERUS II. Hic est XXXII. cœnobii Luccensis Abbas, quem supra diximus resignasse anno 1452. Idem secunda vice in Abbatem electus est 2. 1457. mortuus 18. Maji 1458.

XXXVI. ARNOLDUS II. in seculo dictus *Holtvogt* ex nomine familiæ: electus 21. Maji 1458. mortuus 11. Junii 1483. Sub hoc Abbate anno 1478. Monachus fuit in hoc cœnobio, cui nomen *Engelbertus Arnoldi*, qui quotidie in cellula sua sic oravit: O miserum, quid feci? quid facio? aut quid faciam? quia homo & magnus peccator sum, & tibi soli peccavi. Sed credo, quod tu, mi Domine, O JESU CHRISTE, SOLUS es mea justitia & redemptio; & sicut Abraham credidit Deo, & hæc SOLA fides ei est reputata ad justitiam: sic & ego credo, quod SOLA FIDES in Christum (non opera legis vel carnis, neque Ordinis vel sanctitatis meæ) sufficiat ad salutem. Bone Domine, miserere mei, secundum magnam misericordiam tuam. O benigne JESU, propitius esto mihi; commendo spiritum meum in manus tuas: redemisti me Domine Deus veritatis, & Redemptor meus SOLUS, qui vivis & regnas in secula seculorum Amen.

Audiens preces has mane ac vesperi à dicto Engelberto jugiter recitari cellulæ Arnoldinæ vicinus inhabitator, offensusque voce SOLA, cum exclusione aliorum toties reperita, rem detulit ad cognominem Abbatem; qui fratri post gravem reprehensionem dedit optionem vel carcerem intrandi, cui nomen *Brafune* [ex corrupta forsitan voce Gallica vel Italica *Prison*, *Prigione*] aut relinqvendi cœnobium. Is palam professus, se nimis diu fuisse hypocritam, elegit exilium, abjectoque cucullo in seculum rediit, Hamburgique medicam artem, in qua jam tum erat versatus

tus, magno ægrotantium bono per aliquot annos exercuit. Morti vicinus, cum ad eum adirent Monachi, & consolationis loco de B. Mariæ Virginis reliquorumque Sanctorum sive meritis sive intercessione multa verba facerent, tergum illis obvertit, sive tamque suam precationem denuo recitavit, in quam iterum vox SOLA Monachos presentes ita offendit, ut coram Senatu Hamburgensi querimoniam desuper instituerent, ipsiusque curam amplius gerere recusarent. Ab omnibus igitur derelictus, ad se venire iussit Ludimagistros eorumque scholares quosdam, distributisque inter præceptores centum Imperialibus, & inter scholares pauxillo argenti, consolationem ab ipsis petiit & impetravit. Postquam vir piissimus animam suam Servatori reddidit, Monachi sepulturam corpori denegarunt. Quod videntes Ludimagistricum suis scholaribus, beneficii memores, corpus terræ mandarunt, ringentibus interim Monachis, & à Magistratu, impetrantibus, ut propter hoc Christianæ charitatis officium Præceptores ac scholares urbe eicerentur.

XXXVII. ERNESTUS patria Petershagensis. Electus est 31. Junii 1483, resignavit 29. Jun. 1492. Vocatur in archivo senior Abbas, quod fortassis est Emeritus. Legimus in consignatione quadam, fratres conventuales usque ad hæc tempora plerosque fuisse ex familiis equestribus. Postquam autem illi successu temporis omnia dilapidassent, eoque paupertatis deventum, ut singulis fratribus quotidie, provictu, non nisi panis, unius obuli pretio, & pro potu aqua exhiberi posset amplius, autoresque mali relicto cœnobio vel in seculum redissent, vel alibi locorum in Monasteria essent recepti: cum paucissimis superstes ERNESTUS, humili loco in Marca Petershagensi natus, electus Abbas, statutum fecit primo Abbatialis dignitatis suæ anno, de equestribus in cœnobium amplius non recipiendis, sed assumendis in conventum humilioribus plebejis, quos *pauperes fratres* appellavit. Id quod constanter ex illo tempore in hunc usque diem observatum.

XXXVIII. JOHANNES IV, in seculo dictus *Plaggenmeier*, patria Petershagensis, electus 29. Jun. 1492; mortuus Dominica Trinitatis 1504. Legitur Abbatem hunc in præsentia Johannis, Archiepiscopi Cisterciensis (quod intelligo de ejus Commissario ac provinciarum Saxonie & Thuringie Reformatore) *Ecberti* Abbatis in Riddageshausen & *Henrici* Abbatis Novalis S. Mariæ (h. e. Marienrode) electum esse ab Ernesto seniore Abbate, quem renuntiasse supra diximus; Johanne Plaggenmeiero Priore, Thiderico Bodenvverdio Cantore, Henrico Fabri, Bernardo Sulde, Johanne Scolck, Johanne Wede, Johanne Winter, Johanne Hogelke, Boldewino Cellario, Henrico Blidinghusen, Diderico Stelter, Martino Schrader, Monachis in Lucca.

XXXIX. BOLDEWINUS, in seculo dictus *Clausung*, patria Hanoveranus, electus 14. Julii 1504; mortuus 8. Decembr. 1519. Cum propter bellum Hanoveram profectus, ibidemque mortuus esset, corpus ejus reductum ad cœnobium Luccense, ibidemque sepultum in domo capituli.

XL. BURCHARDUS II, in seculo dictus *Stöter*, patria Neostadiensis. Electus 8. Decembr. 1519, violenta morte extinctus 5. Febr. 1528, de qua prolixè *consignatio nostra*; quæ in compendium contracta ita habet: Anno 1528. die Mercurii post purific. S. Mariæ ad Abbatem venit in Cœnobium Johannes Meier rusticus Munchhagensis, cum filio suo Conrado & quibusdam agnatis suis, querimoniamque instituit super agellis, de quorum reditu ad villam Meieri, inter hunc & Albertum quendam sub certis conditionibus fuerat concordatum. Narrat itaque Meierus, Albertum hunc ex arbore lapsum, diem suum obiisse, & consequenter agros illos ex pacto restitui sibi oportere. Respondet Abbas perquam humaniter: sibi de negotio illo non exactè constare; Bursarium suum aliosque, quorum opera usus sit Meierus in erigendo contractu, negotiorum causa domo abesse; cito redituros; expectandum igitur esse sibi suisque reditum illum; se, quicquid illi transactum esse dixerint aut probaverint, prorato habiturum. Quæ responsione cum satisfactum sibi arbitraretur Meierus, cum filio & agnatis *domuicionem* parat. Ex improviso Conradus, Meieri filius, protervè exclamat: agros illos ad suam villam omnino redituros; si secus fiat, se cum periculo rotæ ac patibuli Jus suum prosecuturum. Conversi duo, Abbati tunc forte præsentibus, minas hæc agrè ferentes, manus injiciunt Juveni protervo; Abbasque veritus, à verbis ad verbera perventum iri denique, in hypocaustum iri parat. Quem secutus Johannes Meierus, ne verbulo quidem ab Abbate læsus, sacro optimi Abbatis capiti cum securi portatili, quam *Bahrtzen* vocant, adversum & lethale quidem vulnus infligit, ita, ut circa vesperam exspiraret. Videns hoc conversorum sive fratrum Laicorum, unus, comprehensum hujus Meieri filium Conradum relinquere coactus, ad Abbatem properat; qui cum juveni amplius non posset, latronem captivum ad carcerem ducit, Conrado filio interim aufugiente. Post justa Abbatis funebria, formatur de veteri more judicium, adscitis in consortium Luccensibus, Munchagensibus & Widenfalsensibus rusticis, nonnullisque ex nobilitate, qui ex certa quadam fraternitate, in templo Luccensi sepulturæ jus obtinent, communiterque *Grabbrüder* vocantur. Pronuntiatur denique, Johannis Meieri pedes singulos duobus eorum pedibus alligandos, à quibus corpus humi jacens, per aliquod tempus trahi, cor è pectore extractum, ori latronis impingi; ipsum denique corpus in quatuor partes secari debeat. Petiit Meierus per Deum

um

um & B. Mariam Virginem, ut sibi gladio caput amputetur, paloqve infigatur; truncus autem sive reliquum corpus imponatur rota. Deliberatione desuper habita, clamantibus interea temporis quotquot capitali huic iudicio intererant, & per Deum, Sanctamqve Dei matrem, Sanctumqve Georgium cœnobii Patronos, ut gratiam Meiero faceret cœnobium, petentibus hæc deniqve gratia iis facta ut capitali duntaxat supplicio afficeretur Meierus, caputqve gladio amputatum in palo, corpus reliquum in rota corvorum præda fieret. Abbas in domo capituli sepultus, lapidem ibidem habet, & alium in cœmeterio, ad æternam tetri facinoris memoriam ad templi latus perpendiculariter erectum.

XLII. MAGNUS, in seculo dictus *Schlüter*, patria Stadthagensis, electus 9. Febr. 1528; mortuus 5. May. 1535.

XLIII. WALTHERUS II, in seculo dictus *Berckmeier*, electus 10. May. 1535; resignavit 29. Jun. 1538. Mansit tamen in cœnobio, & Prior denuo factus est.

XLIII. HARTMANNUS, in seculo dictus *Busse*, patria Wunsdorffensis, electus 11. Julii. 1538, mortuus est 20. Julii. 1551. Sub hoc Abbate *M. Antonius Corvinus* Monachus Luccensis, abjecto cucullo primus relicta religione Pontificia, rediit in seculum, factus postmodum sub *Elisabetha*, Domini Erici Senioris, Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis vidua, Superintendens intra Diesteram & Leinam Generalis, variamqve fortunam expertus.

XLIV. ARNOLDUS III. in seculo dictus (a) *Söler*, patria Petershagensis, electus 27. Julii. 1551. vel, ut in alio Archivi nostri libro legitur, anno 1553. Anno 1554. Abbas Waltherus II, qui anno 1538. resignaverat, factus est hujus Abbatis Prior.

XLV. RICHARDUS, in seculo dictus *Qvette*, patria Ladensis, electus 24. Aug. 1562; mortuus 29. Aug. 1565. Sub hoc Abbate fratri cuidam & Monacho Luccensi, cui nomen *Ludolphus Rigerding*, Sacerdoti & curato in Nyenborg, accidit sequens Historia, quam sua manu scripsisse Ludolphum in obsoleto aliquo libro, testatur Abbas *Theodorus*, in seculo dictus *Strake*. Verba ex Saxonico in Latinum conversa ita habent: Ego frater *Ludolphus*, Sacerdos & Monachus professus in Lucca, cum missus aliquando extra cœnobium essem negotiorum causa, reduci in via obviam mihi factus est vir quidam ignotus, qui se Eremitam nominabat: unde autem venires, mihi non aperiebat. Eremita ille narrabat mihi sibi certo persuasum esse, quod tunica Christi in cœnobio Luccensi reperiatur. Cui narrationi ut fidem faceret, sequentem historiam recitabat. Ante multa secula Papæ cuidam tantam vim inferebant gentiles, ut propriis viribus diffusus, supplex fieret Regi Daniæ, ejusqve auxilium imploraret. Annuit Rex Daniæ & Pontificem ab hostium illorum insultu liberavit. Domitionem paranti Regi cum Papa non haberet, quod pro præstito in extremis calamitatibus auxilio posset rependere, dedit ipsi tunicam Christi inconlutelem, quam Rex in Daniam secum avexit. Cum paulo post bellum illud cum infidelibus recrudesceret, ad Daniæ Regem denuo confugit Papa; qui supplicanti secunda vice suppetias laturus, fratri suo *Woldemaro*, Archiepiscopo Bremensi, regni sui curam concredit. Is tunicam forte inventam secum abstulit Bremamqve transvexit. Rex in Daniam reversus, cum tunicam non inveniret, fraterqve illam restituere nollet, Rex super hoc, spolio quærimoniam instituit apud Summum Pontificem. Qui disjunctivè Archiepiscopo Bremensi imperavit, ut vel fratri tunicam restitueret, vel abdicata Archiepiscopali dignitate, Monachus fieret Grysei ordinis, quo nomine veniebat initio noster ordo, ratus, Archiepiscopum posterius neutiqvam facturum. Fecit tamen, desertoqve Archiepiscopatu Bremensi Luccam ivit, habitum induit, & Monachus factus est. Hic *Waldemar* Brema secum attulit in hoc cœnobium Christi Servatoris nostri tunicam. Hæc pro bona parte fabulosa esse, ex Historicis Danicis constat. *Waldemar* Episcopus Sleswicensis invito Papa Archiepiscopatum Bremensem arripuit, & ab eo fuit excommunicatus, & desperatis tandem rebus suis Monachus factus est, cum & Regi Daniæ *Woldemaro* (cognato non fratri) rebellis fuisset.

XLVI. JOHANNES in seculo dictus *Heimann*, nominis hujus quintus, patria Bilsfeldensis, electus 11. Nov. 1565; mortuus 2. Sept. 1579. sepultus in domo capituli.

XLVII. JOHANNES, hujus nominis VI, in seculo dictus *Barnewold*, patria Saxenhagensis, electus 1579. 9. Sept. mortuus 1591. Junii, & sepultus in domo Capituli.

XLVIII. JOHANNES VII, in seculo dictus *Fenger*, patria Bilsfeldensis, electus 28. Junii 1591. mortuus 1596. 4. Martii, & in domo capituli sepultus. Hic Abbas cum toto conventu suo non jussu Principum sed proprio motu amplexus est Evangelicam religionem.

XLIX. JOHANNES VIII. in seculo dictus *Beese*, patria Bilsfeldensis, Evangelicæ religioni addictus: electus 1596. 7. Martii; mortuus 1600. 18. Maji, sepultus in domo capituli. Relicta religione Romano-Catholica, Augustanæ Confessioni nomen dedit, & non obstante Religione, in præsentia Commissarii Ordinis Cisterciensis, Canonice electus, confirmatus, & ab omni anathemate liber pronuntiatus est per Bullam membranæ inscriptam, & sigillo Commissarii munitam.

L. THEO.

(a) Helmerding in antiquo libro copiali.

L. THEODORVS III, in seculo dictus *Strake*, patria Beckemensis (quod Monasteriensis Episcopatus oppidum est) electus 18. Maji 1600, mortuus 24. Septemb. 1629, sepultus in domo capituli sub lapide. Epitaphium ejus in templo pendet ad parietem. Hunc Theodorum, Evangelica religione, cui addictus erat, non attenta, Romano-Catholici-Diaconum fecerunt Coloniae, Presbyterum Monasterii. Sed & citra omne dubium electus fuisset in praesentia Commissarii Ordinis Cisterciensis, ab eodemque confirmatus, & ab omni anathemate liberatus, si Dominus Fridericus Ulricus Dux Brunsvicensis id ordini indulgere voluisset amplius.

LI. JOHANNES IX, in seculo dictus *Kitzan*, Evangelicae religioni addictus: electus est anno 1600, confirmatus à Duce Brunsvicensi & Luneburgensi Evangelico; mortuus 29. Nov. 1657, sepultus in domo Capituli.

LII. JOHANNES X, in seculo dictus *Kotzebue*, Evangelicae religioni addictus; electus in Coadjutorem 1655, in Abbatem 1658, mense Februario; confirmatus à Duce Brunsvicensi & Luneburgensi Evangelice; mortuus 1677. 11. Febr. sepultus Hanoverae in templo, quod S. Aegidio sacrum est.

LIII. GERARDVS, in Evangelica religione natus & educatus, in seculo dictus *Molanus*, patria Hamelenis, anno 1672. 18. Oct. provisionaliter electus; post beatum vero discessum Domini sui Antecessoris anno 1677, à Serenissimo Domino, Domino Johanne Friderico Duce Brunsvicensi & Luneburgensi, Romano-Catholicae religioni addicto, beatissimae memoriae, confirmatus Abbas, scripsit hanc seriem Abbatum Luccensium anno 1709, aetatis suae anno septuagesimo sexto.

XXXIII.

DE ABBATIBVS S. MICHAELIS LVNEBURGENSIS. *ex MSto.**Catalogus Abbatum ad D. Michaelis Luneburgi, ex veteri Tabula adis Michaelitana.*

Indericus de 1. Abbt (forte Liudericus)

Bruno de 2. Abbt.

Berdagus de 3. Abbt.

Riccalus de 4. Abbt.

Hermannus de 5. Abbt.

Albinus de 6. Abbt.

Berthericus de 7. Abbt.

Azicko de 8. Abbt.

Bartholdus de 9. Abbt.

Ritserus de 10. Abbt.

Adeldagus de 11. Abbt.

Marquardus de 12. Abbt.

Burchardus de 13. Abbt.

Hartmannus de 14. Abbt.

Anno de 15. Abbt.

Johannes de 16. Abbt.

Hatto de 17. Abbt.

Thidericus de 18. Abbt.

Luderus de 19. Abbt.

Ludolphus de 20. Abbt.

Thomas de 21. Abbt.

Wernerus de 22. Abbt.

Othrauenus van Barveld, de 23. Abbt.

obiit 1347.

Olficus van Iken, de 24. Abbt, starf 1360.

Daniel van Hokorp, de 25. Abbt, starf 1368.

Johannes Slepegrell, de 26. Abbt, starf 1371.

Wernerus Grote, de 27. Abbt, ist gestorven 1384.

Olficus van Barfelt, de 28. Abbt, starf 1423.

Boldewinus van Wenden, de 29. Abbt, starf 1441.

Ludolphus van Hitzacker, de 30. Abbt, starf 1477.